



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

I. Apud Carisiacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

CAPITVLA
KARLOMANNI
FRANCORVM REGIS,
LVDOVICI II. F.

TITVLVS PRIMVS.

Apud Carisiacum.

QUANDO POST MORTEM LVDOVICI FRATRIS
integrum regnum sortitus est anno DCCCLXXXII. mense Septembri.

Petitio Episcoporum ad Dominum Charolomannum Regem, quando ei se commendaaverunt in Carisiaco V. Idus.

Avobis perdonare petimus ut unicuique de nobis & Ecclesiis nobis commissis, secundum primum capitulum quod novissimè in Carisiaco Dominus Imperator avus vester à se & à patre vestro servaturum, consentientibus fidelibus illius ac patris vestri atque apostolicæ sedis Legatis, legente Gauzleno, denunciavit, canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam conservetis, & defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, & quemadmodum continetur in scripto quod in Ferrariorum monasterio coram altare sancti Petri perdonastis, & manu propria unâ cum fratre vestro confirmastis.

Promissio Domni Karolomanni Regis ad supradictam petitionem.

Promitto & perdono vobis quia unicuique de vobis & Ecclesiis vobis commissis, secundum primum capitulum quod novissimè in Carisiaco Dominus Imperator avus meus à se & à patre meo servaturum, consentientibus fidelibus suis ac patris mei atque apostolicæ sedis Legatis, legente Gauzleno, denunciavit, canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam conservabo, & defensionem, quantum potuero, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, & quemadmodum continetur in scripto quod in Ferrariorum monasterio coram altare sancti Petri perdonavi. In hoc ut vos mihi secundum Deum & secundum seculum sic fideles adiutores & consilio & auxilio sitis sicut vestri antecessores boni meis melioribus prædecessoribus extiterunt, secundum scire & posse.

